

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. V - N. 1

1973

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00199 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1973

EX ACTIS PAULI PP. VI

Constitutio Apostolica

<i>De Sacramento Unctionis Infirmorum</i>	3
---	---

Allocutiones

I. <i>Institutorum Saecularium moderatoribus, qui Romae internationali Coetui interfuerunt</i>	7
II. <i>Ad Praelatos Auditores et Officiales Tribunalis S. R. Rotae, novo litibus iudicandis ineunte anno coram admissos</i>	12

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

Declaratio quoad interpretationem quarundam dispositionum, quae Normis, die XIII Ianuarii 1971 editis, statutae sunt	21
--	----

S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus

Decretum: Facultates Religiosis Orientalibus conceduntur	24
--	----

S. Congr. de Disciplina Sacramentorum

Instructio de Communione Sacramentali quibusdam in adjunctis faciliore reddenda	29
---	----

S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus

Decretum circa regiminis ordinarii rationem et religiosi saecularizati accessum ad officia et beneficia ecclesiastica	36
---	----

Pont. Commissione Decretis Conc. Vat. II interpretandis

Responsa ad proposita dubia	38
---------------------------------------	----

ACTA COMMISSIONIS

I. Coetuum studiorum labores	40
II. Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus	42
De Cultu Divino	42
De Institutiis perfectionis	47
De matrimonio	70
De Iure Patrimoniali Ecclesiae	94

DOCUMENTA

Indagine psicologica e cause matrimoniali (Card. P. Felici)	104
---	-----

NOTITIAE	115
--------------------	-----


De Iure Patrimoniali Ecclesiae

Coetus studiorum de Iure Patrimoniali Ecclesiae, qui prius vocatus est de Bonis Ecclesiae Temporalibus (cann. 1495-1551), labores suos incepit mense ianuarii 1967, eosque post novem sessiones mense aprilis 1970 complevit.

Perpensis imprimis quibusdam principiis ex documentis Concilii Vaticani II praesertim desumptis, quae in iure recognoscendo p[re]a mente haberi debent, de singulis canonibus quaesitum est quaenam in eis mutanda, addenda aut supprimenda sint; in quo examine peragendo Coetus plerumque vigentem canonum ordinem, etsi non semper titulorum, secutus est. Examine autem completo, tota materia recognita diverso modo ordinata est, et quidem sub novis titulis, vid.: I. Canones praeliminaires (1-9); II. De subiecto dominii (10-14); III. De administratione bonorum (15-31); IV. De acquisitione, de alienatione et speciatim de contractibus (32-42); V. De piis voluntatibus in genere et de piis fundationibus (43-54). Quapropter, ut propositiones a Coetu factae facilius aestimentur earumque rationes clarius perspiciantur, hic iuxta eundem novum ordinem exponuntur.

TITULUS I. *Canones praeliminares.*

1. Primo asseritur ius nativum Ecclesiae Sedisque Apostolicae bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad fines sibi proprios, sicut quidem iam fit in can. 1495, § 1, omissa autem clausula aliquatenus polemica « libere et independenter a civili potestate ».
2. Proprii eiusdem iuris fines deinceps dicuntur esse ei qui a doctrina Christi et ab ipsis Ecclesiae ordinatione statuuntur, praesertim cultus divinus ordinandus, honesta cleri aliorumque ministrorum sustentatio procuranda, opera sacri apostolatus et caritatis exercenda.
3. Declaratur insuper nativum Ecclesiae ius exigendi a fidelibus ea quae ad fines sibi proprios sint necessaria.
4. Exinde sequitur novus canon de obligatione correlativa ex parte fidelium contribuendi ut Ecclesia dictos fines assequi possit, praesertim quod attinet ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium operam impendunt, de qua obligatione adimplenda opportuno modo ab Episcopis moneri debent.



5. Ordinariis locorum ius quoque est tributa imponendi personis *ecclesiasticis* tam physicis quam moralibus, quatenus necessaria sint in bonum dioecesis, prius autem auditio Consilio Presbyterali, et iuxta normas a Conferentia Episcopali statuendas (mens vero Coetus est ut in alio aptiore Codicis loco conficiatur canon quo vetatur ne tributa super elemosynis Missarum imponantur). Fideles tamen suasione magis quam coactione inducendi sunt ut subsidia Ecclesiae conferant per obventiones rogatas et iuxta normas a Conferentia Episcopali probatas.

6. Nisi aliud iure cautum sit, conventus Episcoporum provinciae est praefinire taxas pro actibus iurisdictionis non iudicialis vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministratio sacramentorum et sacramentalium. (Haec norma recognita est priusquam Synodus Episcoporum mentem suam aperuit « ut christianus populus ita pedetemptim efformetur, ut proventus sacerdotum separentur ab actibus ministerii, praesertim sacramentalibus »; cfr. A.A.S. 63, 1971, 921).

7. Vetitum contra stipem sine debita licentia cogendam (cf. can. 1503) extenditur etiam ad eas personas canonicas quae, iuxta distinctionem a Coetu de Personis propositam, « privatae » vocabuntur. Normae in eadem materia a Conferentia Episcopali statutae ab omnibus quoque Religionibus servari debent, salvo tamen mendicandi iure Religionum quae ex instituto mendicantes vocantur et sunt. Loci autem Ordinarius praecipere potest ut, in omnibus ecclesiis oratoriisve quae habitualiter fidelibus pateant, specialis stips pro determinatis inceptis colligatur et ad Curiam postea mittatur.

8. Praesumptio in can. 1356 statuta latius extenditur. Nisi contrarium probetur, *fidelium oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae moralis ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae* praesumuntur ipsi personae morali factae; nec repudiare queunt sine licentia Ordinarii.

9. Ex quinque canonibus 1508-1512 de praescriptione, proponitur ut in hoc bonorum ecclesiasticorum contextu retineatur solummodo principium generale, iuxta quod Ecclesia praescriptionem tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, pro bonis ecclesiasticis recipit, salvis praescriptis alibi in iure forte praescriptis, dummodo bona fide, per totum possessionis tempus requisitum, praescriptio nitatur. Etenim praescriptio nullatenus ad bona temporalia restringitur, sed, uti patet ex can. 1509, plura alia etiam afficit iura, de quibus improprie in parte de bonis

ecclesiasticis temporalibus ageretur. Censuit igitur Coetus alibi in Codice de eis aliis aspectibus agendum esse.

TITULUS II. *De subiecto dominii.*

10. Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris, declaratur esse quaevis persona moralis, sive publica sive privata, quae vel ex iuris praescripto vel ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione in iuridicam personam erecta sit. Talis enim capacitas ab ipsa personalitatis iuridicae notione innuitur.

Haud autem opportunum visum est indicem redigere institutionum ecclesiasticarum quae *stabilium* bonorum patrimonialium assignatione egent, ut recte constitui valeant. Nihil quidem obstat quominus in posterum quaedam officia ecclesiastica bona temporalia tamquam *dotem* retinere possint, dummodo non amplius exstet ille nexus per quem titularis officii suos faciat dotis fructus. Iuxta vero Coetus mentem, talis dos, si quae alicui officio assignata sit, bonis frugiferis consistere debet, exclusis aliis fontibus in can. 1410 enumeratis.

11. Sicut iam statuitur in can. 1499, § 1, dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet moralem personam quae eadem bona legitime acquisiverit.

12. Non obstante distinctione iam ab alio Coetu introducta inter personas canonicas publicas et personas canonicas privatas, censuit Coetus noster bona patrimonialia omnia ad utramque personarum speciem pertinentia aequa ratione « ecclesiastica » habenda esse.

13. Diversum autem inter utramque personarum speciem debet esse *regimen* bonorum. Quae nempe ad personas publicas pertinent, moderantur canones iuris communis in hac Codicis parte contenti; quae vero ad personas canonicas privatas pertinent, moderantur ius particulare aut propria statuta, nisi aliud in hisce canonibus cautum sit (quod fit hic illic expresse privatas memorando).

14. Hoc loco visum est inserere novum circa massas bonorum communes canonem, qui iuxta normas iam editas in M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, 4, 5, 8, redactus est, quique moderatur tres massarum communium species ibidem memoratas, vid.: pro cleri sustentatione, pro praevidentia sociali ecclesiasticorum, pro aliis Ecclesiae necessitatibus. In hac autem materia, iuxta plures Consultores, normae nimis cogentes vitentur oportet, determinationibus particularibus iuri particulari demandatis.

(Quod respicit cann. 1501 et 1502, propositum est ut in locum aptiorem, v. g. in partem generalem « De personis » transferantur).

TITULUS III. *De administratione bonorum.*

15. Ut patefiat quoniam sensu, in can. 1518, Summus Pontifex dicitur esse omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator, additur clausula « vi primatus iurisdictionis », et suppletur explicatio: « Eiusdem igitur est legibus generalibus administrationem bonorum ecclesiasticorum moderari et graviores causas suo iudicio reservare ».

16. Bona ecclesiastica, quae ex pluribus dioecesis coalescunt (cf. supra, n. 14), secundum normas a Conferentia Episcopali legitime statutas administranda sunt.

17. Munus advigilandi administrationi bonorum, quod in can. 1519 locorum tantum Ordinariis adsignatur, Ordinariis simpliciter concreditur.

18. Consilii administrationis, de quo in can. 1520, membra seligenda sunt ab Ordinario, auditio Consilio presbyterali, et unum saltem ex membris selectis ad hoc Consilium pertinere debet. Ordinarii quoque est statuere normas quibus Consilium administrationis suum munus adimplere debet. Suppressa § 4, cetera in eodem canone praescripta quoad substantiam confirmantur.

19. Hoc loco proponitur novus canon, quo Episcopus quilibet tenetur officium Oeconomi constituere pro administratione bonorum quae ad dioecesim pertinent, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum aliud suadeat. Oeconomus nominandus est ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali, eique committi possint, sub auctoritate Episcopi, munus invigilandi supra in n. 17 memoratum, necnon munus administrandi de quo infra in n. 21.

20. Circa *immediatum bonorum* administratorem profertur novum principium generale: « Administratio bonorum ecclesiasticorum personae canonicae sive publicae sive privatae penes eum est qui immediate regit personam ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare, statuta aut legitima consuetudo ». Eo modo superfluae redi videntur normae quae, in cann. 1182-1184, de administratoribus bonorum ad varias ecclesiarum species pertinentium statuuntur.

21. Can. 1521, de administratoribus suppletivis, in forma simpliori redactus est.

22. Distinctio sat momentosa inter administrationem ordinariam et extraordinariam quae in can. 1527 supponitur, determinetur oportet. Quam vero vix definiri possit in iure communi, praeponitur norma, qua Ordinarii est, auditio Consilio administrationis, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive communis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum excedant. Deinde sequitur norma in can. 1527, § 1, statuta, de invaliditate actuum ultra eiusmodi limites positionum absque facultate scripto data ab Ordinario.

Invaliditas autem actuum ex aliis causis praeter facultatis absentiam provenire potest, et damna ex actibus validis sed illicitis aliquando sequuntur. Idcirco, loco can. 1527, § 2, substituitur norma recognita, iuxta quam Ecclesia non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis, nisi quando et quatenus in rem suam versus sit; respondebit autem de actibus ab administratoribus illicite sed valide positis, salvo iure recurrendi contra illos qui damna eidem intulerunt.

23. Quod in can. 1521, § 2, de laicis statuitur, fit canon distinctus latiorisque extensionis: omnes nempe, sive clerici sive laici, qui legitimo titulo partes habent in administratione bonorum ecclesiasticorum, munera sua adimplere tenentur nomine Ecclesiae, ad normam iuris.

24. In can. 1522 recognito, clausula « de quibus in can. 1521 » deleta est, nam quae praescribuntur, de administratoribus in genere valent. De opportunitate autem iuramenti, de quo in 1°, suffragia Consultorum aequaliter divisa sunt. Ceterae praescriptiones saltem quoad substantiam retinentur.

25. Index officiorum quae ab administratoribus impleri debent (can. 1523) ampliatus est. In 1°, ubi agitur de vigilantia ne bonis eisdem concredata pereant aut detrimentum capiant, adnectitur clausula: « initis in hunc finem, quatenus opus sit, contractibus adsecurationis ». Adduuntur insuper haec alia officia: *a)* foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem quam citissime redimendam curare; *b)* rationem administrationis conclusivam quotannis componere atque ad Ordinarium transmittere. Porro, rationes etiam praeventivae ab administratoribus quotannis compondae enixe commendantur, de quibus autem iuris particularis est decernere tum an sint praeciendiæ tum quomodo sint exhibendæ.

26. Cautio quae in can. 1535 habetur, ex titulo de Contractibus ad hunc titulum de Administratione transfertur, et modo minus negativo

exprimitur, vid: « Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianaे caritatis facere ».

27. Ad vitandam formulam aliquomodo paternalisticam in can. 1524 adhibitam, Coetus generalia iustitiae socialis principia recolere maluit. Administratores nempe, in operum locatione, leges quibus labor et vita socialis dirigitur, adamussim iuxta principia ab Ecclesia tradita servare debent, iustum et honestam mercedem tribuendo iis qui Ecclesiae operam ex condicto praestant, ita ut suam suorumque vitam religiosam, familiarem, socialem, culturalem adaequate colere valeant.

28. Annuae administrationis rationes, de quibus in can. 1525, § 1, exhibenda sunt Consilio administrationis, quod, examine peracto, eas Ordinario tradere debet. Suppressa § 2 eiusdem canonis, eius loco prescribitur ut administratores rationem fidelibus reddant, iuxta modum iure particulari statuendum, de bonis quae ab eisdem Ecclesiae offeruntur.

29. Can. 1526, in forma recognita, vetat ne administratores litem nomine Ecclesiae incohent vel contestentur *in foro civili*, nisi licentiam scripto datam *Ordinarii proprii* et *Ordinarii loci* obtinuerint.

30. Hic sequitur novus canon iuxta quem, si controversia de bonis ecclesiasticis oriatur, Ordinarius vel iudex partes hortari debet ut, quantum fieri potest, per transactionem componatur, servatis normis civilibus loci, nisi iuri canonico adversentur.

Coetus de Iure Processuali proposuit ut normae de transactione (cann. 1925-1928) in hanc Codicis partem transferantur, quia in eis agitur de contractu cuius executio nullum tramitem processualem exigit. Quoniam tamen illi canones alias etiam respiciunt controversias praeter eas quae ius patrimoniale attingunt, Coetus noster censuit unicam normam supra statutam includi posse.

31. Can. 1528 fit simplex prohibitio, qua administratores, etsi ad administrationem non teneantur titulo officii ecclesiastici, munus expresse vel tacite susceptum arbitratu suo dimittere nequeunt.

TITULUS IV. *De acquisitione, de alienatione et speciatim de contractibus.*

32. Quum plures normae quae supra in canonibus praeliminariibus et in titulo de subiecto dominii reperiuntur, acquisitionem bonorum directe vel indirecte respiciant, hic sufficit principium in can. 1499, § 1, assertum repetere.

33. Normae vero de alienatione (cann. 1530-1534) recognitione substantiali indigere videntur.

Dato quod finis legis est cavere ne patrimonium Ecclesiae stabile sine iusta causa dissipetur, norma prima sic enuntiatur: « Ad alienanda bona quae personae moralis ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur consensus legitimus superioris, sine quo alienatio invalida est ».

34. Deinde, applicato principio subsidiarietatis ad mentem decreti conciliaris *Christus Dominus*, 8, legitimus superior ita definitur:

« § 1. Legimus superior, de quo supra, est loci Ordinarius, qui audire tenetur administrationis Consilium et consensum habere eorum quorum interest.

§ 2. Si tamen agatur de rebus quarum valor summam a Conferentia Episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit, consensus loci Ordinarii prius confirmari debet a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia statuta.

§ 3. Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis, vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo summam a Conferentia Episcopali ad normam § 2 definitam, superior competens etiam consensum S. Sedis ad valide agendum obtainere debet ».

Quod autem attinet ad res artis vel historiae causa pretiosas, sententiae Consultorum inter se discrepant. Alii enim volunt ut normae § 2 subdantur, alii normae § 3, alii tandem ut normae § 3 subdantur illae tantum res pretiosae « quarum valor dimidiam excedit summam a Conferentia Episcopali ad normam § 2 definitam ».

§ 4. Substantialiter eadem est ac can. 1523, § 4.

§ 5. « Ii qui in alienandis bonis ecclesiasticis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebeant consilium vel consensum nisi prius exacte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae moralis cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis ».

35. Quoad alias conditiones implendas, substantialiter retinentur normae statutae in can. 1530, § 1, 1^o et 2^o, et § 2.

36. Can. 1531, § 1 temperatur verbo « ordinarie ». § 2 suppressa est, re relicta iudicio superioris competentis. § 3, in forma cognita, exigit ut pecunia ex alienatione percepta *vel* in commodum Ecclesiae caute collectetur, *vel iuxta alienationis fines prudenter erogetur*. Fieri enim potest ut talis erogatio sit praecise finis alienationis.

37. Can. 1533 confirmatur quoad negotia quibus conditio *patrimonialis* Ecclesiae peior fieri possit.

38. Quia, in casibus de quibus can. 1534 agit, ius Ecclesiae actionem in foro canonico instituendi iam patet ex can. 1667, maiori Consultorum parti placuit substituere normam iuxta quam, si quando bona ecclesiastica sine quidem debitis solemnitatibus canonicis, in forma tamen civiliter valida, alienata fuerint, superioris competentis est decernere an et qualis actio a quoniam et contra quemnam instituenda sit ad Ecclesiae iura vindicanda. Quoniam vero maioritas fuit unius tantum suffragii, in actis adnectitur minoritatis formula, in qua, normis can. 1534 substantialiter iteratis adiungitur § 3, iuxta quam prudentiae superioris committitur concessio licentiae ad instituendam actionem ad normam §§ 1 et 2.

(Can. 1537 supprimatur oportet, quia sufficit ut servetur can. 1150. Item can. 1538, nam negotia de quibus in § 1, ex eorum natura, solemnitatibus supra requisitis evidenter indigent, et § 2 adjunctis hodiebris vix congruit. Item can. 1539, quia contra simoniae periculum satis cautum est in can. 727, et contra speciem commercii vel negotiationis in normis iam datis).

39. Attenta impossibilitate practica urgendi in foro civili locationis contractus qui legibus civilibus respectivae nationis non sint conformes, loco cann. 1541, 1542, substituendus proponitur canon quo praecipitur ut in locatione bonorum ecclesiasticorum leges civiles serventur, et ut normae in hac re servandae, praesertim de licentia requisita, a Conferentiis Episcopalibus, attentis locorum adjunctis, determinentur.

40. Quoad substantiam retinetur can. 1540, praeposita autem clausula « nisi res sit minimi momenti », et omisso verbo « immobilia ».

41. Substantialiter item conservatur can. 1529, deletis verbis « sive nominatis sive innominatis ».

42. Hoc loco retinetur can. 1543, sed solummodo quia locus aptior alibi in Codice reperiri non potuit.

TITULUS V. *De piis voluntatibus in genere et de piis fundationibus.*

Canones de his rebus agentes iuri patrimoniali Ecclesiae tamquam in appendice adduntur, nam non omnia quae in eis ordinantur ad ius patrimoniale Ecclesiae proprie pertinent. Piae voluntates simul cum piis fundationibus tractantur, quia in praxi intime connectuntur.

43. Can. 1513, § 1, manet uti est. § 2 modo magis praeciso exprimitur.

44. Can. 1514 confirmatur quoad voluntates pias quae « legitimae acceptatae » sunt.

45. Can. 1515 item retinetur, omissa in § 2 verbo « delegati ».

46. In can. 1516, ultima tantum verba mutantur sic: « secus est Superior Maior in religione clericali, Ordinarius eiusdem religiosi proprius in religione laicali ».

47. Piarum fundationum definitio, data in can. 1544, expresse restringitur ad bona temporalia alicui personae canonicae *publicae* donata. Ex eadem consulo omittuntur verba « in perpetuum », propter progressivam bonorum vilescentiam nostris temporibus communem.

48. Loco can. 1545 proponitur nova formula, iuxta quam iuris particularis est definire conditiones sine quibus piae fundationes acceptari nequeunt. Dotis enim quantitas non est unica conditio quae definitione eget.

49. Can. 1546, § 1 paulo recognita est: ut fundatio a persona moralis *valide* acceptari possit, requiritur consensus Ordinarii (simpliciter). § 2 suppressa est.

50. Can. 1547 manet, « approbando » autem loco « designando ».

51. Can. 1548 manet uti est.

52. Can. 1549 quoad substantiam confirmatur, aptioribus verbis adhibitis.

(Can. 1500 praetermittitur, addito autem voto ut res a Coetu competente fusius consideretur, quando normae de exemptione religiosa recognoscentur ad mentem M. P. *Ecclesiae Sanctae*).

Paucioribus opus est verbis in legis formula quae facultatem aliquid faciendi simpliciter denegat, quam in formula quae facultatem conditionibus congruis prudenter restrictam concedere quaerit. Quando igitur Coetus redigere conatus est formulam qua Episcopis concederetur facultas onera Missarum in certis casibus reducendi, necesse tandem erat duos canones verbosiores quam cann. 1517, 1551 proponere.

53. In primo, ubi agitur de Missis, normae statuuntur quibus, praeter casum in quo in tabulis fundationis expresse cavetur ut Ordinarius onera Missarum ob imminutos redditus reducere valeat, Episcopis dioecesanis aliisque in iure ipsis aequiparatis necnon Supremis religionum clericalium Moderatoribus illae duea conceduntur facultates quae iam in M. P. *Pastorale munus*, 11-12, Episcopis attributa sunt, cum eisdem restrictionibus quoad facultatum delegationem.

54. In altero canone qui, firmis praescriptis canonis praecedentis, circa ultimas voluntates in genere agit, praeter casum in quo fundator reductionem, moderationem vel commutationem ultimae voluntatis expresse Ordinario concesserit, confirmatur insuper facultas iam in can. 1517, § 2, Ordinariis data, auditis autem non tantum « iis quorum interest », sed etiam « proprio Consilio administrationis ». In dubio circa intentionem aut modum attingendi finem testatoris, iudicium eidem Ordinario reservatur. In ceteris vero casibus, recurrentum est ad Sedem Apostolicam.

Ad quaestionem an et quinam canones de bonis ecclesiasticis alibi in Codice tractantes in partem de Iure Patrimoniali Ecclesiae transferendi sint, Consultores animadverterunt aspectum patrimoniale non raro cum materia eisdem canonibus propria tam intime necti, ut vix separari possit. Quod imprimis de bonis patrimonialibus religiosorum (cann. 531-537) valere videtur; nam, vi voti paupertatis, necessitudo inter instituta religiosa et bona eorum temporalia characterem ipsis prorsus peculariem induit, cuius effectus iuridici aptius in eodem contextu ordinantur.

Quod autem attinet ad bona temporalia ecclesiarum (cann. 1182-1184, 1186) vel associationum fidelium in personas canonicas publicas erectarum (can. 691), omnino sufficere videntur normae generales de Iure Patrimoniali Ecclesiae supra statutae, quae quidem ita cognitae sunt ut eiusmodi normae speciales superfluae reddantur (Laurentius L. McReavy, *Relator*).

